

An, et qualiter teneatur dominus de necessaria cura, et alimentis providere famulo ægrotanti? Resp. Dominum non teneri ad magnas, sed tenues duntaxat expensas pro cura ægroti famuli, ratione famulatus. Ita cum communi Bartolus, in l. *Si cum dotem*, § *Sui autem*, ff. *Solutio matrim.* et in l. *In rebus comm.* Sylvester, § *Familia*, n. 4, et alii. Ratio est, quia cum ratione famulatus præstet ei competens salarium, ut supponitur, intuitu ejusdem ad magnas expensas adstringendus non videtur. Quamvis valde laudabile sit, si dominus bene habens pro cura famuli expensas subministret.

26. *Bene vero qua proximi. Pauper potest implorare judicem ecclesiasticum contra quemvis divitem, ut sibi subveniatur.* — Dicitur notanter ratione famulatus; quia ut proximo, etiam per majores expensas succurrere debet, si habet, et famulus pauper est. Sylvester, loc. cit. ubi addit, posse ægrotum famulum contra dominum, item etiam contra quemvis alium divitem implorare officium judicis saltem ecclesiastici, ut sibi ægroti, et pauperi subveniatur, arg. can. *Sicut*, 8, dist. 47, et ibi Glossa, § *Esuriendum*, id probans ex c. *Ad Apostolicam*, de *Simon*. Ratio patet, quia quivis tenetur pauperi in extrema, et gravi necessitate constituto subvenire de superfluis naturæ, vel status, prout amplius theologi.

27. *De mercede famuli ægroti. Remissive.* — Num autem, et qualiter teneatur dominus famulo ægrotanti pro tempore infirmitatis salarium, seu mercedem dare, habes lib. III, tit. XVIII, de *Locato, et conducto*, § 4, n. 99. (ADNOTATIO XXIII.)

TITULUS XII.

De homicidio voluntario, et casuali.

1. *Ratio ordinis.* — Quamvis alias prius de genere, quam de specie tractari soleat, tamen hic agitur de homicidio in genere, postquam propter criminis atrocitatem in præcedentibus titulis jam actum fuit de quibusdam homicidiis in specie, parricidii videlicet, et expositione infantium.

§ I.

DE NATURA, ET DIVISIONE HOMICIDII.

2. *Homicidium et pauperies, quid?* — Quæ-

ritur I. Quid, et quotuplex sit homicidium? Resp. I. Homicidium (sic dictum quasi cædes hominis, l. *Ita vulneratus*, 51, ff. a *Lege Aquil.* can. *Si homicidium*, 41, cau. 23, q. 8) est violenta exanimatio, seu occisio hominis ab homine facta. Ita in re communis, arg. cit. can. *Si homicidium*. Dicitur autem notanter ab homine; quia si homo a fera vel bruto necatur, proprie homicidium non dicitur, sed pauperies, per Rubr. et Text. *Instit.* et ff. *Si quadrupes pauperiem*, etc. Cæterum non refert, cujus ætatis, sexus, aut conditionis sit, qui occiditur; cujusvis enim occisio ab homine facta, verum est homicidium, l. 1, § 2, ff. et l. *Si quis*, 8, c. ad *Leg. Cornel. de Sicar.* ita ut etiam partus animati in utero adhuc existentis occisio, homicidium dicatur, l. *Necare*, 4, ff. de *Agnosc. lib.* et pœnis homicidii subjaceat, cit. l. *Si quis*, 8, c. ad *Leg. Cornel. de Sicar.* et dictum est supra.

3. *Homicidium aliud est voluntarium, et quidem directe, vel indirecte.* — Resp. II. Homicidium prima, et principali sua divisione communiter, præsertim a canonistis dividitur in voluntarium, et casuale, ut patet ex rubrica præsentis tituli. Voluntarium aliud est directe, aut indirecte tale. Homicidium directe voluntarium est, quod vere per se, ac directe intenditur, ut si quis animo et intentione occidendi hominem gladio transfigit, aut sclopeto trajicit illum. Indirecte, seu in causa voluntarium est, dum quis mortem alterius non intendit quidem, voluntarie tamen ponit talem causam, vel facit aliquid, ex quo mortem moraliter recte secuturam prævidet, ut si quis graviter percutiat, aut pedibus calcet prægnantem feminam et inde sequatur abortus; vel si in locum hominibus valde frequentatum exploditur sclopetum, et inde homo occiditur. Valensis, h. t. n. 2, cum communi.

4. *Aliud casuale?* — Homicidium casuale est, quod nec directe nec indirecte intenditur, sed præter omnem intentionem casu et fortuito accidit. Nam casus est causa agens præter intentionem secundum Aristotelem 2 *Physic.* ut si quis putans, sclopetum non esse oneratum, explodit ipsam, et explodendo præter omnem intentionem aliud occidit.

5. *Aliud justum et licitum (quod etiam necessarium dicitur) aliud illicitum, seu injustum et dolosum.* — Homicidium voluntarium subdividitur in licitum seu justum, et illicitum

seu injustum. Homicidium licitum seu justum (quod etiam homicidium necessarium a legistis communiter vocari solet) illud est, quod vel pro necessaria sui defensione servato moderamine inculpatae tutelæ, vel ex voluntate, aut præcepto superioris jus gladii habentis, vel jubente lege, consequenter etiam necessario, et vel inde juste ac licite fit. Homicidium e contra illicitum, seu injustum (quod etiam homicidium in specie, et homicidium dolosum nuncupatur) est, quod contra divinam, vel naturalem, vel humanam aliquam legem prohibentem animo et intentione occidendi malitiose fit.

6. *Illicitum varie subdividitur.* — Homicidium hoc illicitum et dolosum varias adhuc sub se species habet. Nam aliud est simplex, aliud qualificatum; et hoc aliud deliberatum, seu præmeditatum. Aliud ex insidiis; aliud proditorium; aliud assassinum; aliud sacrilegum; aliud parricidium; aliud veneficum.

7. *Aliud namque est simplex.* — Homicidium simplex est, quod contingit absque speciali aliqua mala qualitate et circumstantia, in rixa temere exorta, vel ex subito iræ impetu cum advertentia tamen rationis.

8. *Aliud qualificatum.* — Qualificatum est, quod circa modum occidendi locum, vel personam, specialem aliquam malam circumstantiam, vel qualitatem annexam habet: talia homicidia sunt.

9. *Idque aliud proditorium, aliud assassinum.* — Homicidium proditorium, et homicidium assassinum, de quorum natura, et effectu fuse diximus supra lib. III, tit. XLIX, de *Immunitat. ecclesiast.* § 7.

10. *Aliud sacrilegum.* — Homicidium sacrilegum est, cum quis personam sacram, puta sacerdotem, religiosum, vel profanam in loco sacro occidit.

11. *Aliud parricidium.* — Homicidium parricidium, si quis videlicet parentes, liberos, aut sanguine junctos occidit, juxta dicta supra tit. X, n. 2.

12. *Aliud veneficum.* — Homicidium veneficum, seu veneficium est, si quis venenum causa occidendi dat, vel propinat, eoque occidit.

13. *Aliud ex insidiis.* — Homicidium ex insidiis, dum quis scilicet inimicum suum occulte in certo loco exspectat, et nil exspectantem, nil prævidentem subito ex improvviso occidit.

14. *Omne homicidium deliberatum, et præ-*

meditatum est etiam homicidium qualificatum.

— Tandem tale qualificatum homicidium est, et dici potest omne homicidium deliberatum seu præmeditatum, quod videlicet sedato jam iracundiæ calore, plena animi deliberatione prævia, seu vere præmeditate fit. De quibus omnibus amplius criminalistæ. Hic sufficiat naturam illorum breviter adduxisse, quia pro diversitate illorum, diversæ sunt, atque exasperantur, et temperantur pœnæ, prout partim ex dictis jam constat, partim ex dicendis patebit.

15. *Homicidium casuale, aliud est culpabile seu culposum; aliud mere casuale et inculposum.* — Homicidium casuale pariter subdividitur in culpabile, seu culposum, et mere casuale, seu inculposum. Illud est, quod quidem præter omnem voluntatem, aliqua tamen interveniente culpa fit: ut si quis dat operam rei illicitæ, ex qua mors alterius sequitur; etsi ad eam evitandam, operans, omnem adhibuerit diligentiam: vel si quis dat operam rei licitæ tali cum negligentia, aut imperitia, ut mors exinde alterius proveniat. Vide Carpz. *prax. crim.* q. 27, num. 8. Mere Casuale, seu inculposum (quod propriissime casuale est) dicitur, quod prorsus inopinato et fortuito, penitus nulla culpa et nullo dolo interveniente contingit.

§ II.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO ILLICITO, SEU INJUSTO, ET PŒNIS ILLIUS: UBI DE INJUSTA VULNERATIONE ET MUTILATIONE PŒNISQUE ILLIUS.

16. *Homicidii voluntarii injusti pœna est mors, tam de lege divina.* — Quæritur I. Quæ sit pœna homicidii voluntarii injusti? Resp. I. Quodvis homicidium injustum lege divina, et humana civili pœnam mortis secum trahit. Communis ac certa, et quidem de lege divina constat tam ex Antiquo, quam Novo Testamento; nam Genes. cap. ix, § 6, dicitur: Quicumque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius: et Levit. cap. xxiv, § 17, qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur. Dein Matth. cap. xxvi, § 52. Omnes, qui gladium acceperint, eoque percusserint, gladio peribunt: et Apocalyps. c. xiii, § 10, qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.

17. *Quam civili humana.* — De lege civili patet ex § *Item lex Cornelia 5. Institut. de Public.* juncta, l. un. § *Et merito*, C. de

Raptu Virg et l. Quoniam 6. C. de vi publica. Et quamvis olim ab hac pœna immunes fuerint homicidæ mobiles, quibus loco pœnæ capitalis, pœna deportationis, seu proscriptionis imponebatur, l. *Ejusdem*, 3, § 5, ff. *Ad legem Cornel. de Sicar.* videtur tamen hæc lex correctæ, et pœna capitalis cuius homicidæ indistincte imposita, cit. l. *Quoniam 6. C. De vi publica.* ibi: Placuit, si quis forte interemptus sit, in eum supplicium exerceri, qui vim facere tentaverit, etc., et non jam relegatione, aut deportatione insulæ plectatur, sed supplicium capitale excipiat. Accedit Constitutio criminalis Caroli V. art. 37 et 137, ubi omnes homicidæ indistincte subiciuntur ultimo supplicio. Clarus vers. *Homicidium.* num. 18, allegans opinionem communem, et praxin receptam. Blumlacher ad tit. Art. 137, nu. 9.

18. *Et quidem gladio inferenda; si homicidium est simplex; si autem est qualificatum, exasperatur ultimum supplicium.* — Et quidem hæc pœna ultimi supplicii inferri solet gladio, si homicidium est simplex in rixa factum, cit. § item. *Lex Cornelia 5. Instit. de public. judiciis* ibi: *Lex Cornelia de sicariis, quæ homicidas ultore ferro prosequitur.* Si vero homicidium est qualificatum aliquod ex enumeratis a nu. 6, solet exasperari, ita ut gladius in rotam, furcam, vel rogam commutetur, vel adustione per ferrum candens, forcipibus, truncatione membrorum, etc., angeatur, juxta constitutionem Carolinam. Carpz. Pra. criminal. q. 24, n. 16.

19. *De jure canonico homicida laicus excommunicatur.* — Resp. II. De jure canonico pœna laici homicidæ est excommunicatio non quidem ipso facto incurrenda, sed per judicis sententiam infligenda; nisi pœnitentiæ satisfactione crimen commissum diluerit, can. *itaque* 20, cau. 24, q. 3, ibi: *Censuimus homicidas a communione ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint: quam juris dispositionem de solis laicis homicidis intelligi debere, desumitur ex can. Presbyter.* 12, distinct. 81.

20. *Fit irregularis, et inhabilis ad officia, et beneficia ecclesiastica.* — Deinde habet communem jam clericus duplicem pœnam irregularitatis videlicet, et inhabilitatis ad officium, et beneficium ecclesiasticum, de qua statim infra.

21. *Clerici homicide injusti pœnæ sunt se-*

quentes; et quidem I est depositio ab ordine et officio, ac in carceres, vel ad trémas condemnatio. — Resp. III. Pœnæ clerici injusti homicidæ voluntarii sunt sequentes. I. Est ab ordine et officio deponendus, can. *Si episcopus* 7, dist. 50, et can. *Presbyter.* 21, dist. 81, c. *Inquisitio.* 21, pr. *de Accusat. c. sicut.* 6, § fin. h. t. c. *Tuæ.* 6, *de Pœnis.* juncto concilio Tridentino Sess. 14, cap. vii, *de Reformat.* Et in arcium monasterium detrudendus, cit. can. *episcopus, etc. Tuæ:* cujus tamen in monasterium detrusione pœnæ loco hodie successit, et in usu est pœna perpetui carceris, aut condemnatio ad Trémas. Farinacius, *Prax. criminal.* q. 119, num. 149 et 155.

22. II. *Est irregularitas.* — II. Ipso facto incurrit irregularitatem (quam etiam laicus homicida contrahit) adeo, ut quantumvis occultum sit homicidium, ordines etiam post peractam pœnitentiam suscipere, vel susceptos exercere sine dispensatione Pontificis non valeat, can. *Miror.* 4, can. *Clericum.* 5, dist. 50, c. *sicut.* 6. c. *De cætero.* 7, h. t. Clement. un. eodem juncto concilio Tridentino Sess. 14, cap. vii, et Sess. 24, cap. vi, *de Reformat.* De qua pœna amplius infra.

23. III. *Est perpetua inhabilitas ad cuncta beneficia, et officia ecclesiastica.* — III. Est perpetuo inhabilis ad omnia beneficia et officia ecclesiastica. Concilium Trident. cit. Sess. 14, *de Reformat.* cap. vii, ibi: qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni ordine, ac beneficio, et officio ecclesiastico perpetuo careat.

24. IV. *Potest etiam, et debet homicida clericus privari beneficiis prius rite obtentis.* — IV. Privari etiamsi potest, et debet beneficiis prius rite obtentis, illis tamen ipso jure et facto privatus non est. Clarus vers. *Homicidium* 21. Garcias p. 41, *de Benefic.* cap. x, n. 39. Farinacius *Prax. Crimin.* q. 119, n. 153. Pirhing h. t. n. 20, cum communi aliorum. Idque patet tum ex juribus a nu. 21, allegatis: Tum ex c. *Clerici.* 5. *Ne Clerici vel Monach.* et c. *Ex litteris* 10, *de Excess. prælat.* Ratio posterioris est, quia cum in pœnis benignior interpretatio sit faciendæ, c. *Ordia*

et c. *in pœnis.* *de Reg. jur.* in 6, privationem ipso facto ob crimen commissum asserere non debemus, nisi id in jure exprimatur. Farinacius cit. q. 119, nu. 64, et post ipsum Pirhing loc. cit.

25. *Imo, si beneficium, vel officium ecclesiasticum exercitium ordinis requirit, tenetur, conscientia illud ultro dimittere.* — Ex quo inferitur clericum homicidam occultum beneficio suo prius rite obtento valide, et licite fuisse posse, nisi hujusmodi beneficium præter recitationem horarum canonicarum requirat personale exercitium ordinis sacri, tunc enim, cum præter irregularitatem (quam juxta dicta etiam occultus homicida ipso facto incurrit) ordinem aliquem exercere nequeat, debet vel illico pro dispensatione super irregularitate Romæ laborare; vel si eam obtinere nolit, aut non possit, beneficium urgente conscientie obligatione ultro dimittere. Covarruvias in Clement. *Si furiosus* p. 2, § 3, n. 7. Abbas in c. *Nisi iam pridem.* 10, *de Renunt.* n. 1, eo quod non possit satisfacere muneri et obligationi talis beneficii.

26. V. *Si iterat homicidium, non item ob unum simplex homicidium degradari, et curiæ sæculari tradi debet.* — V. Si clericus homicidium iterat, gravius adhuc plectitur, et si in corrigibilis est, etiam anathematizandus, degradandus, et curiæ sæculari tradendus est. Ita expresse statuitur c. *Cum non ab homine* 10, *de Judiciis,* et ibi doctores communiter. Cæterum ex hoc inferitur, quod clericus ob unum simplex homicidium curiæ sæculari tradi non possit.

27. *Hactenus recensitas juris pœnas etiam incurrit, qui mandat injustum homicidium.* Quæritur II. Num hactenus enarratas juris pœnas, præsertim vero irregularitatem incurrit, qui mandat, vel consulunt homicidium injustum? Resp. I. Qui mandat homicidium injustum, homicidii et omnium pœnarum illius reus est. Communis accerta l. *Nil interest* 15, ff. *Ad legem Cornel. de sicar.* ibi: Mandator cædis pro homicida habetur, can. *Si quis viduum,* 8, dist. 50, cum concordantiis. Ratio est, quia mandans est vere causa moralis homicidii, consequenter pœnarum ipsius reus. Nam qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum, c. qui faciat. 72, *de Reg. jur.* in 6. Et nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat, cit. l. *Nihil. interest.* 15, ff. *Ad legem Cornel. de Sicar.*

28. *Etsi illud ante homicidium commissum revocet, casu, quod mandatario revocatio in tempore non innotescit.* — Ampliatur doctrina etiam ad casum, quo mandans revocat mandatum, si istud ante mortem mandatario non innotescit mandatario; quia hic quando mandatum ignorat, agit nomine mandatarii. Secus foret, et pœnas juris evaderet, si revocationem ante occisionem mandatario sufficienter insinuaret; quia, cum in tali casu ex voluntate mandantis non amplius operetur, proprio, non mandantis nomine occidere censetur. Navarrus *Manual.* cap. xxvii, numero 237. Diana part. II, tract. *Miscel. Resolut.* 17. Pirhing. h. t. numer. 23.

29. *Incurrit quoque irregularitatem, si ipse mandarius occidatur.* — Ampliatur ulterius, et irregularitatem incurrit mandans homicidium, si occasione hujus ipse occidatur mandarius. Sylvester, homicidium 1, q. 7, dicto 7. Avila p. 7, dist. 6, sect. 2, dub. 1, conclus. 4, Pirhing, h. t. nu. 22. Ratio est, quia sicut qui se ipsum injuste et temerarie exponit propinquo mortis periculo, censetur sui homicida, ita etiam qui mandat et consulit, ut alter taliter se exponat, censetur esse causa homicidii. Nec refert, quod præter intentionem, et directam illius voluntatem mors sequatur; quia cogitare poterat, et debebat, illam accidere posse, arg. can. fin. h. t. in 6.

30. *Vel si solam verberationem mandat, mandarius fines mandati excedens mutilet, aut occidat.* — Ex qua ratione etiam is, qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat, cum mandando in culpa fuerit, et hoc evenire posse debuerit cogitare.

31. *A pœnis tamen homicidii immunis erit, si mors non sequatur, nisi homicidium assassino modo mandaretur.* — Limitatur autem conclusio, casu, quo homicidium non sequatur. Avila, loc. cit. dub. 3, princ. Pirhing, h. t. num. 23. Covarruvias, Suarez, Barbosa, et alii. Ratio est, quia regulariter loquendo, irregularitas, vel alia juris pœna propter homicidium non incurritur, nisi actu sequatur, vel nisi aliud in jure sit expressum, arg. l. *Sæpe.* 53, ad finem. ff. *de Verb. signif.* cum concordantiis, nisi homicidium modo assassino mandaretur; tunc enim etiam non secuta morte gravissimas juris

pœnas incurreret tam mandans, quam mandatarius assassinus, textu expresso c. 1, h. t. in 6, ibi : quanquam mors ex hoc forsitan non sequatur. Totum textum vide infra n. 62.

32. *Easdem homicidii pœnas insuper incurrit consulens homicidium.* — Resp. II. Sicut mandans, ita etiam consulens homicidium, irregularitatem, aliasque homicidii pœnas incurrit, si efficaciter influit, id est, si vi hujus consilii alter homicidium injustum committit, illud alias non commissurus. Communis, et certa, arg. c. *Perniciosa*, 23, dist. 1, de *Pœnit.* can. *Si quis viduam*, 8, dist. 50, ibi : Præcepto, et consilio, c. *Sicut*, 6, § *Qui vero*, et fin. h. t. ibi : Qui consilium dederunt, juxta l. 1, princ. et l. 3, § 4, ff. *Ad Legem Cornel. de Sicariis*. Ratio est, quia homicidium efficaciter suadens, etiam vera illius causa moralis est per jura citata, et c. 2, de clerico pugnante in duello, ubi habetur : Homicidium tam facto, quam præcepto, sive consilio, aut defensione perpetrari, non est dubium.

33. *Etsi consilium in tempore revocet.* — Ampliatur conclusio, et tam ad casum, quo consulens ante homicidium consilium suum revocat. Suarez, distinct. 44, sect. 3, n. 10. Farinacius, quæst. 129, a num. 23, late Pirhing, h. t. 32. Ratio est, quia etiam in tali casu consulens adhuc censetur esse moralis causa homicidii; si, uti supponitur, vi et rationibus præcedentis consilii persuasus quis nihilominus occidit, uti facile contingere potest, ubi rationes consulentis ita movent, ut revocatio consilii non amplius attendatur. Secus est in mandante; cum enim in tali casu sola voluntas mandantis censeatur esse moralis causa homicidii, tota causa videtur sublata, si mandans voluntatem suam in tempore adhuc, et serio revocat.

34. *Nisi pro viribus illud refutare studeat.* Consulens mutilationem ei, qui volebat occidere non est irregularis. — Putant tamen nonnulli, consulentem evadere pœnas, si pro possibili contrariis rationibus prius datum consilium refutare conatur, et si nil se proficere advertit, occidendum monet, ut sibi caveat, etc. Pirhing, h. t. num. 32, qui etiam post Avilam, p. 7, de *Censur.* disp. 6, sect. 2, dub. 3, conclus. 1, addit, immunem esse ab irregularitate, si quis consulit minus malum, v. g. percussorem duntaxat, aut mutilationem ei, qui alias se resolverat occidere.

35. *Easdem pœnas contrahit efficaciter cooperans ad homicidium.* — Quæritur III. Num iisdem pœnis subjaceant etiam cooperantes ad homicidium? Resp. I. Qui efficaciter ac propinque cooperatur ad homicidium, ita, ut absque hujus cooperatione homicidium non fuisset secutum, pœnas ordinarias homicidii ab utroque jure statutas incurrit. Clarus, § fin. quæst. 90, num. 1. Mascardus, de *Probat. conclus.* 159. Farinacius, *Præc. criminal.*, p. 3, quæst. 131. Barbosa, in c. *Sicut*, 6, h. t. num. 14, cum communi, arg. l. un. c. de *Rapt. Virg.* l. *Si pignore*, § *Qui ferramenta.* ff. de *Furtis*. l. *Nihil*. 15, ff. *Ad Legem Cornel. de Sicar. sciente.* ff. *Ad Legem Pompei. de parricid.* c. fin. de *Pœnis*, in 6. Ratio est, quia universaliter auxilium efficax præstans ad delictum, punitur eadem pœna, qua delinquens, per vulgaria.

36. *Si plures animo occidendi aliquem impugnant omnes rei sunt pœnarum homicidii, si ignoratur, quis illorum occiderit.* — Resp. II. Si plures communicato consilio aut proposito ad occidendum exsurgunt contra aliquem, isque ab uno duntaxat occidatur, ita tamen ut ignoretur, quis illorum occiderit, seu cujus ictu, percussione, aut vulnere occubuerit, omnes pro homicidis habentur, et pœna ordinaria homicidii puniuntur, textu expresso, l. *Item Mela*. 11, § 2, ff. *Ad Legem Aquil.* ibi : quod si appareat (quis in specie occiderit) omnes quasi occiderint, teneri, Julianus ait : suntque omnes irregulares, c. *Significasti*, 18, § *Quod si*, h. t. juncto cau. fin. can. 23, q. 8. Ratio est, quia etsi in tali casu unus tantum occiderit, tamen reliqui causam mortis præbuere, dum præsentia, et assistentia alter alterum, et præsertim homicidam audaciorum, occisum vero timidorem reddiderunt; consequenter homicidii rei sunt, l. *Nihil*. 15, ff. *ad Legem Cornel. de Sicar.* ibi : Nihil interest, occidat quis, an ansam mortis præbeat.

37. *Si vero constat, cujus ictu mors fuerit secuta, ille solus ordinariam, reliqui vero extraordinariam pœnam incurrunt de jure civili.* — Resp. III. Si præfato modo plures consurgunt, sed unus tantum vulneravit, aut percusserit, vel plures quidem, sed unus duntaxat lethaliter, alii non lethaliter, idque constet, de jure civili solus ille punitur pœna ordinaria homicidii, reliqui vero pœnam extraordinariam incurrunt; textu claro cit. l. *si Mela*. 11, § 2, ff. *ad Legem Aquil.*

38. *De jure canonico tamen in tali casu sunt*

omnes irregulares. — De jure canonico tamen omnes sunt irregulares, et si constet, unum duntaxat lethaliter, reliquos vero non lethaliter, imo nullatenus percussisse, dummodo animo occidendi impugnarint, vel adfuerint; textu satis claro can. fin. can. 23, q. 8, ubi etiam illi, qui non vulnerabant, occidere tamen volebant, pariter se pœnitere, seu pœnam sustinere coguntur, et illi soli a pœna canonica immunes declarantur, qui nec vulnerabant, nec impugnabant, nec consilio, nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantum adfuerunt. Ratio est, quæ in priori conclusione.

39. *Quid juris civilis si in rixa subito exorta quis occidatur?* — Resp. IV. Si in rixa subito exorta sine prævio deliberato animo occidendi, pluribus insurgentibus unus occiditur, et nescitur, a quo fuerit occisus, de jure civili omnes quidem extraordinaria, nullus tamen pœna ordinaria, seu ultimo supplicio punitur. Menochius, de *Arbitr. judic.*, lib. II, casu 362, num. 19, arg. l. 1, § 3, ff. *ad Legem Cornel. de Sicar.* item l. fin. ff. eod.

40. *Ac de jure canonico?* — De jure canonico autem etiam in tali casu pro Foro externo omnes sunt irregulares. Barbosa, in c. *Significasti*. 18, § *Quod si*, h. t. num. 9. Glossa, in can. fin. cau. 23, q. 8, vers. *Quicunque*, cum communi, arg. cit. c. *Significasti*, 18, § *Quod si*, h. t. Si vero constat, quis illorum occiderit, vel lethaliter percusserit, ille solus, cæteri autem minime sunt irregulares, cit. c. *Significasti*; 18, § *Nos in promisso*, h. t.

41. *Ac in foro conscientie?* — Pro foro interno standum est conscientie cujuscunque subito rixantis, ita, ut is, qui certo scit, se nec vulnerasse, vel vulnerasse quidem, sed leviter tantum nec animo occidendi adfuisse pro irregulari se habere non teneatur. Barbosa, loc. cit., n. 10. Avila, de *Censur.*, p. 7, disput. 6, sect. 4, dub. 3, vers. *Sed quid, quando plures.*

42, 43 et 44. *Etiam qui, dum potest, non impedit homicidium, est irregularis, si impedire ex justitia tenetur.* — Quæritur IV. An, et quando irregularitatem contrahant illi, qui, dum possent, homicidium non impediunt? Resp. I. Quicunque ex justitia tenetur impedire homicidium, et non impedit, dum absque gravi suo damno potest, irregularitatem incurrit. Navarrus, *Man. cap. xxiv*, n. 22, et cap. xxvii, n. 232. Sylvester,

vers. *Homicidium*, 3, q. 5. Barbosa, in c. *Sicut*. 6, h. t. num. 18 et 19. Pirhing, h. t., n. 43, cum communi arg. c. *Sicut*. 6, § *Illi etiam*, h. t. Ratio est, quia talis moraliter censetur occidere, peccatque contra justitiam, et tenetur ad restitutionem.

Nec refert, quod irregularitas, quæ in jure non habetur expressa, qualis videtur præsens, non contrahatur. Nam contra est, quod etsi non exprimat in jure, dum ibidem universaliter statuitur, illos omnes, qui moraliter occidunt, irregulares esse per jura supra citata, et c. 2, de *Clerico pugnante in duello.*

Inferitur, officiales, et ministros, aliquos ex officio constitutos, consequenter ex justitia obligatos ad defendendam vitam proximi, uti sunt etiam milites, servi respectu domini, etc., incurrere irregularitatem, si dum possunt, homicidium impedire omitunt.

45. *Secus est, si ex sola charitate tenetur.* — Resp. II. Qui ex charitate duntaxat, non vero ex officio, aut justitia tenetur impedire homicidium injustum proximi, prout tenetur quivis respectu proximi sui, et si graviter peccet, tamen irregularitatem non contrahit, si, dum facile potest, homicidium alterius non impedit. Navar., *Man. c.* 24, n. 21. Barb., in c. *Sicut*. 6, h. t. Pirhing, h. t., n. 42, et alii communiter. Ratio est, quia talis nec physice, nec moraliter cooperatur ad homicidium; cum istud proprie dictum sit delictum contra justitiam, contra quam quia non peccat positus in conclusione, ad verum homicidium nullo modo cooperari videtur.

46 et 47. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quod canones universaliter dicant, qui potuit hominem liberare a morte, et non liberavit, eum occidit, c. *Sicut*. 6, h. t. cum concordantiis, ac in specie, qui fame morienti non præbet panem, eum occidit, c. *Pasce*, 21, dist. 86. Resp. enim canones vel loqui de illis, qui ex officio et justitia tenentur proximum liberare ab homicidio, vel non solum loquuntur de simpliciter non impediendis, sed de auxiliantibus opere, vel consilio, prout loqui videtur cit. c. *Sicut*. 6, h. t. uti patet ex illis verbis, ut percussoribus opem ferret, et concordat can. *Facieris*. 3, dist. 86, vel tandem loquuntur de homicidio late, ac improprie tali.

Pariter non obstat c. *Quantæ*, 47, de *Sentent. excommunic.*, ubi etiam excommunicata-